

*ineuntis novæ sectionis*, ita, ut diligens ejus observatio Interpreti quandoque totam Epistolæ alicujus œconomiam pandat, justamque ejus analysin multum adjuvet. 3) ἐς τὴν πᾶσιν ἀνδρῶπιος antitheton est ad μηδεὶς v. 13. ubi de *fugiendis* præcipit Apostolus, quemadmodum hic de *faciendis*.

§. II.

Omnis homo, inquit JACOBVS, sit α) ταχὺς εἰς τὸ ἀκροῦσαι, *celer ad audiendum*, quod SYRACIDES C. V, 3. (T. gr. v. 11.) ita exprimit: γινε ταχὺς ἐν ἀκροῦσαι σου ubi Lutherus vertit: *sey bereit zu hören*; *Promptitudinem certe ad audiendum* Apostolus hic commendat. *Quid vero inprimis tam promte audiendum sit*, docemur v. 18. scil. λογὸς ἀληθείας, & v. 21. ὁ λογὸς, qui salvare potest animas nostras. β) βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι, *tardus ad loquendum*; 1) pulchre hoc monitum priori subnectitur, nam *auditionis impedimentum est loquacitas*; vid. Hiob. VI, 24. XIII, 13. XXIX, 21. XXXIII, 33. Prov. XII, 23. XVIII, 2, 13. hinc forte silentium Pythagoricum. 2) Ipsi etiam gentiles suis suaserunt *audire magis quam*

quam loqui; ita enim BIAS apud DIOG. LAËRT. *libr. I. C. 87.*  
 μη ταχυ λαλει' idemque alibi: ἀνε πολλα, λαλει  
 ὀλιγα. PITTACVS: μη σπευδε λαλων CLEOVLVS  
 autem monere solitus est, φιληκοον εἶναι μαλλον, ἢ  
 φιλολαλον, teste iterum DIOG. LAËRT. *in vita ejus,*  
 Concinit SENECAE illud ad *Lucilium Ep. XL. Sum-*  
*ma summarum hæc erit: tardiloquium te esse jubeo. it.*  
*de moribus: in hoc incumbere, ut libentius audias, quam*  
*loquaris; auribus frequentius utere quam lingua. Qui*  
*nescit tacere, nescit loqui. Multas quoque eximias*  
 hucque omnino facientes sententias complectitur  
 PLVTARCHI libellus de *Auditione*, ubi e. g. inter  
 alia scite ait: *In eo videmus errare plerosque, quod in*  
*dicendo se exercent, antequam se ad audiendum adue-*  
*fecerint, putantque dicendi esse disciplinam atque medita-*  
*tionem, ad auditionis autem utilitatem nihil interesse, quo-*  
*cunque demum modo illa instituat. At vero, qui pilæ*  
*ludum tractant, simul & jacere & accipere pilam*  
*discunt: in usu vero sermonis prius est recte accipere*  
*quam emitte. Inprimis quoque huc pertinet*  
 ZENONIS illud apud *Laërtium VII. 23.* δια τετο δυο  
 ὠτα εἶχομεν, σομα δε εν, ινα πλειω μεν ἀκρωμεν,  
 B ἥττονα

ἡπτονα δὲ λεγόμεν\* addunt alii gentium philosophi  
 & hoc, quod natura nobis dederit *aves semper pa-*  
*tulas, linguam vero duplici septo dentium obvallatam;*  
 unde HOMERVS bis utitur phrasi, ἔρκος ὀδόντων, *septum*  
*dentium* II. L. IV. v. 350. & L. XIV. v. 83. ubi  
 Ulysses Agamemnonem, improvide loquentem, ita  
 increpat: Ἀτρείδη, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἔρκος ὀδόντων;  
 Atride, quale tibi verbum fugit e septo dentium?  
 Similiter HESIODVS in ἔργ. και ἡμ. vers. 717. 718.  
 scite ait: γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἀριστος  
 Φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰότητος  
*Linguae certe thesaurus inter homines optimus Parcae,*  
*plurima vero gratia, si modum servet, vel metricè:*

Optimus est homini Linguae thesaurus & ingens  
 Gratia, quæ paucis metitur singula verbis.

3) Scriptura S. *tarditatem ad loquendum*, seu pro-  
 vidum linguæ usum, commendat Ps. XXXIV, 14.  
 coll. 1 Petr. III, 10. Prov. X, 19. XIII, 3. XVII, 27. f.  
 Eccl. Cap. V, 1, 2. Syr. V, 13—15. *Hoc loco eo po-*  
*tissimum sine iste abs Jacobo commendatur, ut ne*  
*præceps lingua impie contra Deum loquatur, ut*  
 v. 13.

v. 13. huj. Cap. aut sinistre *de Deo* ergā alios, Cap. III, 1. sqq. γ) βραδύς εἰς ὀργήν, *tardus ad iram*. 1) Monitum hoc prioribus subjungitur, quia frustra sunt illa, nisi huic simul locus detur; in cassum leges præscribuntur *auribus* & *linguæ*, nisi *animi affectus* simul in ordinem redigatur; CATO ait: *Impedit ira animum, ne possit cernere verum*, addimus nos, *ne verum audiat, & loquatur*. 2) Hebræi similem plane phrasin habent, quando רוח ארה, *longus spiritu*, Eccl. VII, 9. ipsis est *longanimis*, seu non facile irascens, & ארה אפי, *longus irarum*, idem quod *tardus ad iram* Exod. XXXIV, 6. uti contra אפר אפי, *brevis irarum*, idem quod *cito irascens*; præceptum ad iram, Prov. XIV, 17. coll. v. 29. 3) ipsi etiam gentiles agnoverunt, *maximum iræ remedium moram esse*, ut SENECA ait *de ira lib. II. cap. 24.* unde & ATHENODORVS, Philosophus, Cæsari Augusto hoc dedit consilium: ὅταν ὀργισθῆς, καισαρ, μηδεν εἰπῆς, μηδεν ποιῆσῃς προτερον, ἢ τα εἰκοσι και τετταρα γραμματα διελθειν προς εαυτον vid. PLVTARCHVS *de ira cobibenda pag. 457.* 4) Hoc loco ὀργη speciatim denotat partim *impatientiam erga Deum*, quando

Christianus non ea, qua decebat, animi aequabilitate sortem suam adversam sustinet, sed eam iniquitatis adcusat, & cum indignatione felicitatem impiorum intuetur, vid. Pl. XXXVII, 1. sqq. XXXIX, 1. sqq. LXXIII, 2—15. 21. 22. partim iracundiam erga proximum, vid. huj. Ep. C. III, 14. seqq. C. IV, 1. 2. Utrique vitio opponitur τὸ μακροθυμεῖν C. V, 7. 8. 9. quod ipsum tarditatem ad iram involvit.

77. 5) Ratio hujus moniti hæc est: Ὁ ἐγὼ γὰρ ἀνδρὸς δικαιοσύνην Θεοῦ ἔκατεργάζετο 1) Δικαιοσύνη Θεοῦ aliud quid heic notat, quam Rom. I, 17. & in omnibus istis locis, ubi de justificatione sermo est; hic de renovatione agit Apostolus, consequenter per justitiam Dei intelligit omne id, quod in se justum, a Deo præscriptum, & Deo gratum est, unde LUTH. optime verit: was für GOTT recht ist; neque contrarium nobis persuadet H. HEISENIUS in *Diff. XX. ad Ep. Jac. §. I—XVI.* 2) ἔκατεργάζετο per *Litoten* dictum est, & contrarium positivum debet inclusum censer; a) Apostolus exprimere maluit, quid ira non faciat, quam, quid faciat? quia plerumque iratus non nisi quod justum rectumque est

est coram DEO se facere & sibi videtur & aliis videri vult; protestatur ergo JACOBVS, & negat, eum facere justitiam Dei; simul vero b) subintelligendum relinquit, quod *faciat quævis contraria*, multa, quæ per se voluntati div. e diametro *adversantur*, &, quod in se *bonum* est, non tamen *bene*, & *eo*, quo par est, *modo*. Atque hæc jam dicta sunt de *Propositione illa trimembri C. I, 19, 20.* cujus ἐξεργασια mox sequitur v. 21 — fin. & C. II. III. IV.

§. III.

Cap. III, v. 1.

Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε, ἀδελφοί μου, εἰδότες, ὅτι μῖζον κρίμα ληψόμεθα.

Ἀδελφοί μου) Hæc compellatio etiam h. l. index est ineuntis novæ sectionis in tractatione thematis **Cap. I, 19.** propositi; Dixerat JACOBVS 1) quemvis Christianum debere *celerem esse ad audiendum*, ita quidem, ut *auditioni etiam facta* jungat, verbo auditio consentanea, atque hoc primum membrum hætenus pertractaverat inde a **C. I, 21.** usque ad finem